

Hic me prorsus renatum esse sensi, & apertis por-  
 tis in ipsum paradysum intrasse. Ibi continuo alia  
 facies totius scripturae mihi apparuit. Discurre-  
 bam deinde per scripturas, ut habebat memoria,  
 & colligebam etiam in alijs vocabulis Analogiam  
 ut Opus DEI, id est, quod operatur in nobis  
 DEVS: virtus DEI, qua nos potentes facit:  
 Sapientia DEI, qua nos sapientes facit: &c.

90. Impulit autem DEVM ad miserendum  
 nostri, non ulla aliqua nostra praevisa dignitas,  
 opus, aut meritum: Sed unice, ineffabilis gratia  
 sive paternus miserricordiae divinae favor, atque  
 immensus amor DEI. Quae Gratia DEI, se-  
 cunda justificationis causa, προνουσμένη <sup>2. Προνουσ-  
 μένη impel-  
 lens causa.</sup> mo-  
 vens sive impellens rectissime dicitur.

91. Gratiae autem vocabulum Pontificios de  
 qualitatibus inherentibus, ac infuso charitatis  
 habitu, improbe & vitiose accipere, supra pro-  
 lixe ostendimus. Thes. 57. & seqq. Quibus illud  
 tantum hoc loco opponimus, quod Apostolus asse-  
 rit, Gratiam hanc datam nobis esse ante tempo-  
 ra aeterna, ac priusquam nos essemus, Eph. 1,  
 4. ut de habitibus in tempore infusis illam velle  
 interpretari, prorsus sit cum ratione insanire.

92. Cause huius respectu, Confessio nostra,  
 GRATIS nos justificari affirmat: Apostolicam  
 imitata locutionem. Rom. 3, 24. justificamur  
 Gratis, hoc est, ipso Apostolo interprete, Gratia  
 DEI Eph. 2, 8.

Z S

Instru-